



30. IV. 1669

[Åbo 1669]

G. STIERNHJELMII  
IDYLLION.  
ANACREONTICUM

De  
AMICITIA

*Ejusque Fundamento Vero & Genuino,  
Scilicet*

VIRTUTE

*Et Fucato sive spurio,  
nimirum*

OPULENTIA:



Interlocutores :  
ORESTES, & MENALCAS.

---

Orestes.

**S**I, quâ parentur arte,  
Quæris, Menalca, Amici?  
Paucis docebo: Virtus  
Celebrata, & antecellens  
Doctrina agreste vulgus;  
Morum elegantiorum,  
Sine fuco, & arte, & astu,  
Festivus usus; æqua  
Mens omnibus; serenus  
Vultus, loquela dulcis;  
Minimeque amara lingua,  
Eademque casta, verax;  
Sales, joci, lepores,  
Horâ, & loco decentes;  
Studiumque Honesti; & acer  
Benè de omnibus merendi  
Ardor; tacenda scire  
Tacere, non secus quàm  
Loqui loquenda; Vita  
Honestâ, neminique  
Gravis, aut molesta; Fama in-  
taminata; nomen absque  
Labe, inclytum bonumque;  
Fidesque sarta tecta.

Hæc

Hæc sunt, sodalis, hæc sunt  
Momenta, causa, & artes,  
Quæis gratia, favores  
Parantur; atque amici.  
An Delphico profecta  
Oraculo hæcce dicta,  
Et veriora vero,  
Existimas Menalca?

Menalcas.

Ut Delphico profecta  
Oraculo, hæcce dicta,  
Et veriora vero,  
Existimârim, Orestes;  
Parùm tamen putârim,  
Aut nil, ferè, quod ipsam  
Rem stringat, esse dictum.

Nec singula hæc, nec unâ  
Conjuncta, conferent vel  
Hilum, ad parandum amicos  
Stabiles, & usque fidos  
Si desit una res, Res;  
Quamque inscius, parumque  
In rebus hujus Orbis  
Versatus, imperitè,  
Sine honore præteristi,  
Inter Deos, Deasque,  
Juno Moneta, prima.  
Moneta pluris una

Existimanda, quàm vel  
Mille elegantia, vel  
Mille, atque mille Honesta;  
Animique mille dotes;  
Scientiisque mille,  
Virtutibusque mille,  
Superbiens Minerva.

Quid nuda dona Mentis?  
Quae ut aptiora cernas,  
Contemptibus ciendis:  
Oculisque, mentibusque,  
Quâdam aegritudine, atque  
Livore sauciandis:

Quàm amoribus ciendis;  
Favoribusvè alendis;  
Si destitutus à Re,  
Relictus à Moneta,  
Pauperculus, miserque,  
Hominum ambias favores,  
Ridendus, atque amores.

Nam, turpis hoc malorum  
Habet, omnium (ò dolendum!)  
Quod pessimum est, Egestas.  
Ridetur; atque adunco,  
Sustensa verberatur,  
Rostrum beatulorum.  
Si quid, licet decorè,  
Locoque, temporique



Dicit, facitvè pauper ;  
Si non apertè, at intùs  
Ridetur ; usquequaque  
Contemnitur ; simulque  
Cane, & angve pejus atro,  
Vitatur, ut nefandus.

Nec visitant amici,  
Ne visitentur ipsi ;  
Ne quid roget, timentes.

Miserantur interim ; aſt non  
Miſerentur, efficaci

Operâ, aut ope adjuvantes.

Caput eſt rei, atque ſumma :

Fortuna, Res, Moneta,  
(Nomen triplex, ſed unum  
In orbe, grande Numen,)

Quem deſerunt ; favores  
Hunc deſerunt ; amores  
Hunc deſerunt ; honores  
Hunc deſerunt ; & omnes  
Hunc deſerunt amici

Econtra, cui eadem,  
Fortuna, Res, Moneta,  
Cui affluunt & adſunt ;  
Ei affluunt, & adſunt  
Faventium catervæ ;  
Sequentium manipuli ;  
Reverentium cohortes ;

*Amantiumque turme;  
Chorusque Gratiarum,  
Venerumque blandularum,  
Et elegantiarum,  
Exercitus venustus.*

*Quid ergò macra Virtus?  
Re destituta Virtus?  
Et Honesti inane nomen;  
Quid Mente plena Pallas?  
Sed auri egena Pallas?  
Re casta Res, vaga aura,  
Vacuae medulla mentis,  
Phantasma, somniumque,  
Idolum, & umbra, risus,  
Ludibriumque vulgi.*

*Moneta vera virtus,  
Vis, robur, & potestas;  
Est portus, ara turris,  
In queis locata regnant  
Tranquillitas, quiesque  
Animi, atque vera vita  
Beatitas, Salusque:  
Hic gaudium, voluptas,  
Et pulchritudo, forma,  
Et gloria, inclytumque  
Nomen, decusque, splendor,  
Et claritas, genusque,  
Sapientiaque fama,*



*Et Eruditionis.*

*Qui possidet Monetam.  
Sequuntur hunc honores,  
Et evehunt favores,  
Hunc ambiunt amores,  
Et Gratia procantur.*

*Est una, cuncta cunctis  
Moneta sola, Summum,  
Regina, Numen Orbis.*

*Pauperculis, egenis,  
Miseris stat una virtus:  
Quae sunt ferenda, ferre  
Tolerantèr, & tacere.*

*Orestes.*

*Fer & tace; querela  
Turpis facessat: alti,  
Sator inclytæ Minervæ,  
Vivit Monarcha Olympi.  
Is filiam relinquet  
Contemptibus subactam?  
Ne crede: & acris ipsa,  
Manebit alta, Pallas:  
Non deseret seipsam,  
Nec despici subibit,  
Inhonora nec jacebit  
Animosa Pallas, unquam.  
Se vindicabit ipsa  
Lucique, Glorieque.*

*Plebi*

Plebi, clientibusque  
Plutonis aula avara,  
Calcata, spreta sordet?  
At mox ovans resurget,  
Lauro comas revincta,  
De plebe, deque Dite,  
Cui sola cura, solus  
Amor eris, & crumena;  
Celso superba curru,  
Claros aget triumphos.

Nec omnibus relicta,  
Virtus inops jacebit,  
Vulgò licet prematur:  
Quod experiris ipse,  
Feliciter repertis,  
(Licet inter haud frequentes,)  
Quibus fruare Amicis;  
Quorum in sinus fideles,  
Quæ te premunt, reponas;  
Quos prædicare veros,  
Merito queas Amicos,  
Operâ, atque ope efficaci,  
Jam sæpius probatos.



~~Vierant. hauch~~

Rv. Kaunshij-jatäite

Stiernhielm 2.



